



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 4. Pœnitentia Deo grata, Sacrificium, festum, &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

pariter cum bono nostro sanguinis sui fructum sic carpit suavissimum. Ramirez in ep. 4. Apoc. 2. 21.

*Ecce sto ad ostium, & pulso.* Apoc. 3. 20. Suaserat Christus D. Episcopo poenitentiam; nè putaret, difficile fore, ut è tanto tepore in ferventem poenitentiam posset venire: paratissima gratiæ suæ auxilia ei ostendit, & pollicetur: idque sub figura hospitis benevoli; qui, ab alio durissimè expulsus, ad ostium anhelus perseverat; & sollicitè pulsans, admitti rogat: ut intrans veterem, exhibitio charitiorum epulò, redintegret amicitiam. Id hic in ep. 7. Ubi voces illæ Pl. 49. 12. *Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terra.* Cur ergo, cum tua sint omnia, excubas ante hominis ostium; ut cœnes cum eo? Jactaret illud in veteri Testamento, quando Filium suum adhuc retinebat in folio gloriæ suæ: postquam verò dedit Filium; *etiam cum illo omnia nobis donavit*, ait Paulus Rom. 8. 32. Sed dicamus verius: antequam Verbum caro fieret, delicias poenitentia non plenè gustarat Deus: vescebat enim angelorum amore; & licet ei apponerentur lacrymæ poenitentium, haud eis nutriebatur. At ubi descendit in hortum nostrum, & manducare cœpit panem doloris; lacrymarum ità captus est dulcedine; ut reversus in cœlum, suis ipse manibus abstergat omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. Quibus non abundè refectus in terram revertitur, pulsat ostium; & defersens manna, lacrymas, & poenitentia fercula; esurit. Cur enim pulsat ostium? audi, quid præmittat: *amulare ergo, & poenitentiam age.* Apoc. 3. 19.

## §. IV.

*Poenitentia Deo grata, sacrificium, festum &c.*

*Tolle hircum pro peccato.* Levit. 9. 3. Hircus est poenitentia, Hugo Card. hic.

*Oblationem offerre per tempora sua.* Num. 28. 2. Origenes legit; Offerretis mihi in diebus festis meis. Habet ergo Deus dies festos suos? habet: est enim ei magna festivitas humana salus, Quomodo putas, lætificat eum; cum is, qui fuerat impudicus, fit castus; & qui fuerat impius, efficitur pius. Istæ omnes singularum quorumque conversiones, festivitates generant Deo. Origenes hic. hom. 23.

*Manducemus, & epulemur.* Luc. 15. 23. Commune convivium, communisque læticia Patri, filio, & servis, describitur: quia fructus Passions Christi in poenitente, materia est gaudii; non solum ipsi poenitenti, & Ecclesiæ Pastoribus; sed etiam ipsi Deo: perinde enim gratum habet, ac si ipse pasceretur. Cajetanus hic.

*Erat dies festus Judæorum.* Joan. 5. 1. Potius dies festus JESUS poterat vocari, quo paralyticus sanatur. Nullus enim dies solenior Deo, quam cum peccator à nequitia recedit. *Erat autem Sabbathum in die illo.* Quam verè Sabbathum in die! Non dixit,

Sabbathum erat dies ille; *sed Sabbathum erat in illo:* in illo enim die, quò peccator mundatur, verè Sabbathum Dei requies est. Escobar t. 1. Mir. Chr. l. 5. Sect. 1. obl. 1.

Non sic infans amator dilectam suam, amat; ut Deus poenitentem animam. S. Chrysof. hom. 22. ad pop. Antioch. Nihil est, quod Deum ità exhilaret; atque conversio nostra, atque à peccato ad virtutem regressus. Id. hom. 25. in Gen.

Nullà re perinde Deus delectatur ut hominis, propter quem omnis doctrina, atque omnia mysteria, concessa sunt, respicientia, & salute. S. Gregor. Naz. or. 39. in sancta lumina.

Peccavimus; agamus poenitentiam: millies peccavimus; millies quoque poenitentiam. De omni opere bono gaudet Deus; præsertim verò super anima poenitentiam faciente. S. Ephrem de variis tormentis Inferni.

Multiformis, & copiosa, est poenitentia; idèque varia ferculorum genera Deo apponit. Id. de poenit.

Festum excitat Deo poenitentia: quoniam & cœlum movet ad epulas; & Angeli utantur, dum poenitentia ipsos invitat ad prandium; cunctique cœlestes ordines epulantur, per poenitentiam sese recreantes. Id. ib.

DEL altare est poenitentia: nam per ipsam peccantes eum placant. Id. ib.

Celebritas bona, ac pulchra, & Deo grata, est poenitentia cum lacrymis, & à peccatis abstinencia, Deiq; cognitio, atque æternum bonorum desiderium. Id. s. in pretiosam, & vivificam Cruc. Dom.

Magni pretii sacrificium offerre, poenitentiam agite. Non enim reperitur malitia, quæ poenitentiam superet; nullum est virus, quod vim hujus mellis possit extinguere. S. Helychius Presb. or. in S. Andream Ap.

Tanta utilitas, tantæque gratia, poenitentia; ità ut Deo, præteritis facinoribus offenso, jamque justissimam poenam pro tantis criminibus inferenti, si dici fas est, quodammodo obstitat; & quasi inviti, ut ità dixerim, dexteram suspendat ultoris. Joan. Cassian. Collat. 20. Abb. Pinusij c. 4.

## §. V.

*Poenitentia cibis, potat, recreat, Christum.*

*Affer mihi duos hædos optimos.* Gen. 27. 9. sic Ecclesia bona mater ex hædis id est peccatoribus. Marchantius D. 1. Quadr. Eucherius l. 2. in Gen. in omnibus scripturis hædi pro peccatoribus accipiuntur; carnes autem hædorum, ex quibus Isaac preparatus est cibus, peccantium intelligenda est conversio.

*Messui myrrham meam.* Cant. 5. 1. Metit myrrham: quia, ut ait Ambros. de bono mortis c. 5. delectatur eò, si quis mortificet peccatum suum obliteret culpam suam, sepe-liat iniquitates suas: myrrha enim est sepultura mortuorum, de Ponte hic Exh. 2. l. 3.

*Sumes aurum & argentum; & facies coronas, & pones in capite Jesu filij Josedech Sacerdotis magni.* Zachar. 6. 11. De JESU

verò